



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XX. De Democratia, quæ est vitium politiæ præsumptæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

enim millia inter eos sunt, qui à puero sacris con-
cionibus, piis lectionibus, Christianæ fidei institu-
tionibus eruditi, theatrales fœditates, arena: cru-
delitates, turbulenta declamationes ne semel qui-
dem oculis, auribus hausserunt? Quin etiam cri-
minosos, & infames non admittunt, admissos eji-
ciunt.

Locum itaque non habet quod lib. 6. cap. 3. mo-
net Philosophus, nunquam conuocandam multitudinem
urbanam, sine rustica, de veteribus illis scurris, qui
aliud non spectabant, quam panem, & Circenses, con-
cessero, qui pecuniam ararii, qua classis alenda e-
rat, pro mercedibus theatri expendendam cense-
bant, qui poetas quod obscenis verbis abstinuif-
sent, mercede priuabant, qui omnes improbos, &
seditiosos stipabant. Hos ad nullam Reipublicæ
partem plebs urbana admittit, hinc in tribus qui-
dem locum habent.

Turba co-
mitiorum
videntur.

Quæta ra-
tio legendi
Senatus
Monasterij
in West-
phalia.

§. 7. Tertium est, vt magistratum electio
fiat comitio omnium, more Romano; nec enim
ibi turbæ, pugna, ambitiones, corruptiones eui-
tari possunt, sed placeat vetusta Mantineensium
ratio, apud quos quidam (ἀριστοὶ κατὰ μέγεθος) ele-
cti secundum partem populi, magistratus manda-
bant. Vidi Monasterij Westphaliæ insigni & po-
lita ciuitate, primo ab vniuerso populo quosdam
legi, qui alios designarent, à quibus Senatus legi-
tur quotannis, est illa ratio penitus popularis; nam
omnium consensu ac suffragio censes illi consti-
tuuntur; deinde ea cura electio fit, vt nemo scire
possit, qui vltimi lectores sint; illi vero more Car-
dinalium includuntur, ac de toto senatu consti-
tuunt, & cum ante noctem eligunt. Nulla hic
potest esse munerum corruptela, nulla honoris pre-
fatio, Censes autem illi ad suam existimationem
pertinere arbitrantur, ne vllum nisi spectata vir-
tutis, & prudentiæ virum concilio suæ ciuitatis im-
miscant, quod si vnum, alterumue fauor, aut co-
gnatio ad aliquem nominandum induceret, ceteri
tamen resisterent, nec famam suam pro alieno ho-
nore pacisci vellent. Hæc sane ratio multis parti-
bus præstat Romanis comitiis.

Censes
magistra-
tus tanta
cura legan-
tur, quanta
ipse magi-
stratus.

Magistra-
tus peccata
punienda.

§. 8. Quartum est, Vt multos, & graues viros,
qui à magistratibus reipublicæ administratæ ratio-
nem repolcant, eamque tribus exhibeant, non
minore cura constituent, quam ipsos magistratus.
Τὸ δὲ ἀναγκαστικόν, καὶ μὴ τὸν ἐξουσίαν ἔχον, ἐν τῷ
δίκῃ, συμπεριέσθην. Nam ab alieno arbitrio dependere,
neque licere omnia, quæ libet facere, vile est. Neque
enim maior illecebra peccandi vlla est, quam pec-
cati impunitas. Atque hæc res tanti momenti est,
vt ex ea Reipublicæ Venetæ incolumitatem maxi-
ma ex parte dependere putem; omnium enim vr-
bium præfecti ita gubernationem instituunt, vt ra-
tionem reddendam sibi certo sciant. In vitam eo-
rum priuatam, in acta publica, in iudicia inquiri-
tur. Hoc in Politia facilius est, atque efficacius,
quam in Venetorum Aristocratiæ; nam in popula-
ri forma, qui in magistratu deliquerunt facile puni-
ri possunt, quia medijs sunt, nec opibus, nec cli-
entibus, aut potentia eminentes, vt leges eludere
possint, vel infringere; in Aristocratiæ aliquid no-
bilitati, affinitati, maioribus, & spe paris impuni-
tatis indulgetur.

Plebs in Po-
litia nobiles
honoret.

§. 9. Quintum est, ne optimates & nobilita-
tem offendant, aut iritent, sed in honore, atque
æstimatione habeant, ac venerentur, plurimos i-
psos magistratus, & honoratissimos demandent, &
cum plebeos illis collegas dederint, primas tamen
patricijs deferant. Sic enim erga plebem optime
afficiuntur, seque illi probare contendunt. Neque
arbitror vllam hactenus Politiam interfuisse, nisi prius

mutata in Democratiā, iniuriis, contumeliisque
optimates, & diuites vexarit. Ex eo enim occasio-
nem aliqui è nobilitate acceperunt, vt se vindicarent;
magni enim animi homines, & contume-
liarum impatientes, cum de rebus suis desperarunt
facile totam rempublicam euertunt, & quemad-
modum cum reges in tyrannos degenerant, multi
sunt, qui laudem occisi tyranni etiam cum peri-
culo capitis quarunt, nec aliorum supplicis defer-
rentur, ita cum Politia à lege discedit, nec com-
munem, sed tenuiorum vtilitatem querit, nobi-
lesque & optimates seruitio premere, & expilare
incipit, multi vindices oriuntur; est enim illa Res-
publica tyrannis multorum caput, quæ vt vno
ictu confici non potest, ita lacerari per partes, &
diuidi potest. Lege historias Græcas, latinas, &
cessante, aut inclinato imperio, Italicas; inuenies
summas calamitates ab exilibus allatas esse; Exu-
les autem orti sunt ex ciuium in se mutuo fauori-
um conflictibus; pugna: vero ex Reipublicæ vi-
tiosa administratione. Atque vt vno verbo com-
plectar; optima forma Reipublicæ popularis est,
in qua summa potestas est penes populum, sum-
mus honor penes optimates, summaque cura te-
nues adiuvantur; In qua optimatum dignitas pen-
det à populi suffragijs, in qua honor deferretur opti-
matibus à populo volente: quia vbi illa modera-
tio adhibetur, nulla pars ciuitatis, mutari Reipu-
blicæ formam optabit: ac proinde consensu præ-
sentem statum tuebuntur.

Pleraque
mala ex
nobilitum
afflictione
oriuntur in
politia.

CAPVT XX.

De Democratia quæ est vitium Politie presse sumptæ.

§. 1. DEMOCRATIA est ἀρχὴ τῆς τοῦ πᾶσι
ἐξουσίας. Imperium quod pauperum, seu
tenuiorum vtilitatem spectat. Finis huius imperii è dia-
metro oligarchiæ opponitur, illa enim diuitum
causam agit, hæc eorum qui pauperes, siue tenues
sunt, neutra totius Reipublicæ.

Democra-
tia breui
est natura,
& fere in
vnius im-
perium re-
cidit.

Nulla vnquam Democratia diuturna fuit, aut si
qua aliquandiu durauit perpetuis discordijs agita-
ta est, & vel in tyrannidem vnius, vel in oligar-
chiam desiit. Sapius tamen in tyrannidem, quia
populi fex, cum in se diuisa praualeat non potest,
vni se committit, à quo præmia datæ potestatis ex-
spectat; sed ab eo deinde opprimitur. Cur admi-
nistratio illa diuturna esse non possit, causa est,
quia cum tenuiorum ciuium commodis prospici-
tur per iniurias honestiorum, necesse est præci-
pua ciuitatis partem, sine qua esse alia non po-
test, molestiam pati. Si enim contumelijs exagi-
tatur nobilitas, aut ciuitatis status ita iactatur in
manibus pauperiorum, vt rerum suarum sint in-
certi diuites, quis dubitare potest, quin illi vel tan-
dem potestatem ad se attracturi sint? vel Rempu-
blicam in qua sordidissimo cuique ludibrio, & præ-
dæ sunt deserturi? Nec diu, in eo periculo ces-
sant, cum facultatem viciscendi magnam ha-
beant.

§. 2. Democratia esse potest etiam vbi paupe-
rum est minor, quam diuitum numerus, si ad pau-
corum arbitrium commodaque clauus administra-
tionis vertitur, plerumque tamen maior est pars
tenuium, & qui rem, vel non habent, vel exi-
guam habent. Olim tamen in vrbibus militaribus
sepe penes infimos summa potestas residebat: ad
hanc enim formam accensenda sunt illa Romanæ

Democra-
tia interdum
esse potest,
vbi minor
est paupe-
rum nume-
rus.

Reipublicæ tempora, cum plebs subrostraria leges ferebat, cum annua venali venderent suffragia campo, cum milites Prætoriani, vel pauca legiones contempta senatus, ac populi auctoritate, donatiua, & prædas, licentiamque pacti monstra hominum ad augustum fastigium eueherent, eosdemque mox nefario scelere occiderent.

§. 3. Ex hac Reipublicæ forma tyrannis nascitur facillime. Optime Plato: ἡ γὰρ ἀγὰν ἐλευθερία εὐκτα, οὐκ εἰς ἀλλοτρίαν, ἢ εἰς ἀγὰν δουλείαν μεταβάλλειν καὶ ἰδιώτη καὶ πόλει. εἰκὸς γὰρ, εἰκότως τοῦτον εἶπεν οὐκ ἐξ ἀλλης πολιτείας τυραννίς καθίσταται, ἢ ἐκ δημοκρατίας. ἐξ (ὅτ-μαι) τῆς ἀκέραια τῆς ἐλευθερίας, δουλεία πλείον τῆ αὐ-χρησιωτάτη. Mutari enim assuevit nimia libertas, in gra- uissimam seruitutem, tam priuatis, quam vrbibus. Ita e- nim fieri solet, meritoque dixi, non ex alia republica ty- rannidem oriri, quam ex Democratia, ex summa libertate maxima atque immmanissima seruitus.

Cur autem is cui fe populus permisit, tyrannide eum premat, causa est. Quod aliter saluum se esse posse diffidat; cum multi improbi multa petant, cum terreant, non potest eos amore sui tenere, ideo vim parat.

Quatuor genera De-
mocratia.

§. 4. Sunt autem quatuor genera Democratia. Prima cum honestior pars ciuitatis, quæ mediocres opes habet, exclusis diuitibus consultat, & magi- stratus mandat, tam diuitibus, quam mediocri- bus. Hæc forma quia plus tribuit magnatibus fir- mior est, neque enim diuites, nobilesque à Repu- blica repellit, & quos candidatos, & supplices ha- bet, eorum se fidei regenda committit.

Altera forma est, cum omnibus licitum est ad- ministrare Rempublicam, quantum ad genus atti- net, non tamen vllus admittitur, nisi cui licet esse ociofo. Hæc administratio fere etiam optimatum est. Nam artifices, negociatores, alique remo- uentur.

Tertia forma est, cum lege etiam illi qui ociofi esse nequeunt ad gubernacula admittuntur; quia tamen ab rebus suis ocium non habent, nec cum rei domesticæ incommodo publicis vacare volunt, sponte magistratibus abstant.

Quarta est Democratia species, seu potius ty- rannis multorum, vt iudicat Aristoteles lib. 5. c. 11. politicor. Cum pauperes non admittuntur modo ad gubernationem, sed merces illis datur, vt ocia- ri possint, multis modis illa res iustitiam lædit. Vi- ri enim honesti, nobiles, & ad gerendam Rempu- blicam idonei, sordibus tam indecoris, atque ad- eo extremis ne patriæ consulant, arcentur. De- inde cum ad ocium pauperum alendum opus sit pec- uniam ex Reipublicæ visceribus conferri, iniuria afficiuntur nobiles, & diuites, vt qui cogantur sua pecunia emere sibi magistratus, atque adeo suis o- pibus efficere, ne venire ad honores possint, quo nihil est acerbius. Denique eiusmodi homines vt plurimi sunt rerum imperiti, cupidi, & potentia abutuntur.

Multi ma-
gistratum
idecirco tan-
tum susci-
piunt, vt
indignos
excludant.

Cum autem nec pecuniæ, nec honoris causa im- perium gerere vir bonus velit, hoc tamen oneris suscipere solet, ne ipsi deterior imperet. Necessi- tatem namque summam arbitrantur gubernaculi suscipiendi, ne impetitis committatur, atque ea causa omnes periclitentur. In hac vero democrati- ca tyrannide, per violentiam legesque & precium agitur, ne viri honesti præfint Reipublica, sed ter- rimentis quisque, atque egentissimus imperet.

§. 5. Leges porro Democratice contra optima- tes varia sunt à popularibus excogitata, quæ ta- men ipsum populum oppræsserunt, & libertatem sub nomine libertatis in tyrannidem conuerterunt. Quamuis nullius vnus tyrannis sit æquanda popu-

lo furenti. Et prima quidem lex est, Magistratum ex omnibus esse, quam sit illa perniciofa tum exem- pla, tum ratio docet. Quid enim à veraratione a- lienius, quam ex imprudentissimorum iudicio ac- sentientis Reipublicæ rectores præfici? Ex hæc ho- minum seligi, qui summos honores, summamque potestatem habeant? Nemo vineam imperito cul- tori, agrum ignaro colono committit, quæ vero prudentia est, corpora, fortunas, libertatem, ho- minum sua commoda quarentium arbitriis com- mittere? Quod aiunt populares, plebem in dele- ctu magistratum non fere aberrare, id omnino a- liter habet. Nemo suæ libertatis minus est idoneus ar- biter, quam populus, nemo illa magis vlla in re abutitur, quam in creandis magistratibus. Om- nes quem sibi commodum arbitrantur, non quem vtilem Reipublica, quarunt. Credamus Ro- mano populo, cuius instar Euripi comitia in di- uersa commutabantur, Cato bis repullam tulit, Clodius, Vatinius, Piso, Antonius curuli sella con- federunt.

Democrati-
a nullum
arceat magi-
stratu.

Populus li-
bertatis sua
acerrimus,
sed incon-
sultus est
custos.

§. 6. Altera lex. Vicissim imperare, crebroque imperia mutare. Hanc populus amat, sed ducit ad anarchiam, & licentiam, quis enim è plebe natus, breui, iamque expiratura potestate præditus, ho- mines improbos, atque audaces à ciuium iniuria arcebit? legum pœnarumque metu ac vi contine- bit, quos craftino die, vertente rota comitorum, in summo conspecturus sit? Quem hodie potens irritaueris, cras dominum experiere. Inimicum tum publica auctoritate armatum priuatus exci- pias. Vt nota referam, vel vnicum Ciceronem spe- cta. Consulatu suo tam glorioso, conseruator pa- triæ potentissimorum ciuium in se odia concitauit, quæ tantum potuerunt, vt in exilium pelleretur.

Democrati-
a mutat
magistra-
tus crebro
sed male.

§. 7. Tertia lex. Damnatorum bona plebi diui- dere. Id si populus iudicet, manifeste iniquum fue- rit, vt lib. 6. cap. 5. monuit Aristoteles. Quis du- biter iudicem egentem adduci haud difficulter pos- se, vt reum damnet, cuius exitio rem suam augere constituit? Si illa iudicia penes optimates, præda vero penes plebem sit, quanquam minus periculi sit, non tamen æquum multam publicam vnus partis commodis impendi. Deinde neglectis laboribus, calumnias diuitibus intendere incipit.

Rapiunt
Democrati-
ci.

§. 8. Quarta lex. Nobilium & fortium virorum criminationes frequentes esse. Nihil Athenis vsita- tius, & hac ex causa cecidere.

§. 9. Quinta lex. Sortito legi magistratus. Qua quidem lege nihil ad Rempublicam euertendam aptius.

Calumni-
antur diui-
tes.

§. 10. Sexta lex. Vectigalia in eos, qui ad con- cionem veniunt, distribui.

§. 11. Septima lex. Locupletes pro iudicandi la- bore nullam, tenues largam mercedem accipere.

§. 12. Octaua lex. Nullam artem impedire, quo minus imperes.

§. 13. Nona lex. Neminem, nisi raro, vllum ma- gistratum bis gerere.

§. 14. Decima lex. Possè hoc tamen in bello pe- riculoso fieri.

§. 15. Vndecima lex. Nullum magistratum esse perpetuum, imo omnes esse breuissimos, vt plures imperent.

§. 16. Decima tertia lex. Aduenas etiam ad ho- nores admittere.

§. 17. Decima quarta lex. Nobilitatem occulte premere, in speciem colere, ampla quædam, & sum- ptuosa illis committere.

§. 18. Decima quinta lex. Cauere ne irritentur.

§. 19. Decima sexta lex. Eos in se mutuo accen- dere, & simultatibus atterere, eos qui è nobilitate habent

habent multos inimicos, honoribus, & potentia munire, ac defendere.

§. 20. Decima septima lex. Plurimas tribus instituire, eas quam maxime miscere.

§. 21. Decima octava lex. Varia sodalitia opificum, negociatorum aliorum confociare.

§. 22. Decima nona lex. Licentiam permittere vitendi, ut quisque vult. *ἵδμεν δὲ τοὺς πολλοὺς τὸ ἐν ἀτάκτοις, ἢ τὸ ἐν ἀνισότητι.* Dulcius est enim multitudini inordinate, quam temperanter viuere.

§. 23. Vicefima lex. Magistratus omnes sepere aliorum magistratuum custodia, ne quid possint inuito populo, sic Romæ Tribuni plebis optimis sæpe consiliis intercesserunt, & specie defendendæ plebis Reipublicam turbant.

Omnes illæ leges si originem, rationem, exempla perpendamus parum firmare statum democraticum possunt, quocirca nulla democratia firma fuit vnquam, necine perpetuis motibus. Præter Atheniensem & Romanam legi poterit historia Reipublicæ Florentinæ à Frederici temporibus, in quam maximas, celerissimæque rerum commutationes, prælia intestina, & ex turibus pugnas cum admiratione leges.

Nulla arte ea que pertinet ad res factas sunt diu fulciri possunt.

CAPVT XXI.

Optimam Reipublicam formam esse Monarchiam ex Aristocratia, & Poluitatem peratam.

De optima Reipub. forma varij disputant. §. 1. **Q**UÆSTIONEM propono non in curia modo, & concione populi, sed in exercitationibus etiam scholasticis agitaram. Causa est quod vberem hominibus ingeniosis ac faciendis materiam præbet contra tyrannidem, anarchiam, seruitutem, pro libertate & æquitate dicendi. Alii itaque vnus nimiam potentiam, alii parum ambitionem, & discordias, alii vulgi confusioem, ac temeritatem exagitant; idque eo maiore plausu, quod rerum male administratarum nullo sæculo desint exempla, plebique etiam abundant. Verum nos hac de re politice, atque ad instituta Reipublicæ accommodare dicamus.

Certa analogia facienda est comparatio. §. 2. Principio cum tres Reipublicæ formas inter se comparamus, atque optimam inquirimus, prudenti atque conueniente analogia id constat esse faciendum, neque enim vnus regiminis vitia ac damna, cum alterius virtutibus commodisque conferenda sunt, sed bona bonis, mala malis, minora bona minoribus, maiora maioribus, itemque mala æquali lance pensanda sunt. Optima Monarchia cum optima Aristocratia, ac Politia: mediocri cum mediocri, pessima cum pessima comparari debet. Cum eodem igitur gradu res steterit, vtra melior, firmior, felicior sit Reipublica? queritur. An scilicet gubernatio illa quæ describitur Iud. 2. 6. Dimisit ergo Iosue populum, & abierunt filii Israel, vnusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam: *Seruiueruntq. domino cunctis diebus eius, & seniorum qui longo post eum vixerunt tempore, & nouerant omnia opera domini quæ fecerat cum Israel.* An illa seniorum Aristocratia sit præferenda monarchiæ Davidis, aut Salomonis, aut alterius regis commune bonum spectantis?

§. 3. Deinde non esse in hac disputatione minutim omnia, & mathematicè disputanda; sed quia de Republica agimus, morali & ciuili modo tractanda. Frustra enim ciuitatem aliquam Platonicam aut Vtopicam cogitatione informamus, & construimus, si nostris verbis in quibus multi sunt imprudentes, improvidi, improbi, & tales sæpe etiam

illi, quorum officium est iustitiam æquitatemque tueri, consilia damus. Neque enim hominem vnum, aut certum, definitumque tempus Reipublicæ institutor spectare debet, sed vniuersum tempus complecti; quanquam enim vnus aliquem optimum principem esse contingat, & optimates aliquando laudabiles, crebro tamen & mores in potestate mutantur, & crebrius bonis rectoribus mali succedunt. Itaque ea forma Reipublicæ constituenda, in qua magistratibus plurimum boni, minimum mali liceat, ut suis legibus, non virtute vnus hominis saluus sit populus. Non igitur legislator multa, & excellentia bona deferere timebit, ut periculosissima mala auertat. Nec ciuitatis illius præstantissimam formam arbitrabitur, in qua vnus aliquid egregie comparatum est, nisi ab omnibus vndique prouisum fuerit. Omnia mediocria potius eligenda, quam extrema cum periculo magno, nam ut Reipublica constituatur in qua nullum sit periculum, in tantis hominum cupiditatibus, perfidia, ambitione fieri non potest. De reipublica igitur optima forma dicam distince.

In republ. constituenda non vnus homo, sed totum tempus spectandum.

In republ. multa bona deferenda sunt, ut mala vitentur.

§. 4. PRIMO. Forma Reipublicæ despotica, cum omnium rerum absolutus dominus est princeps, illaudabilis est, iniqua, nec diuturna. Despoticam voco eam, qualis est hodie Turcici imperatoris, olim fuisse videtur Nabuchodonosoris, Regum Egyptiorum, & nunc quorundam Barbarorum est. Incola Turcici imperii mancipia se imperatoris sui nominant, nemo fortunarum, aut vitæ securus est, omnia de nutu crudelissimi, superbissimi, libidinosis tyranni dependent, ipsam adeo auram, quam ducunt, magno domino referunt acceptam.

Turcicam despotiam reprobat.

Turcicum imperium.

Rationes adferre nihil est necesse, nemo enim est, qui non seruitutem fugiat, libertatem amplectatur, at in illo imperio omnes, etiam vxores & filii seruitutem seruiunt. Quin etiam diuina scriptura in maximis pœnis numerat; Seruitute premi, in libertatem autem asseri summi beneficii loco habet. *Isaia 19. 4. Et tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium.* Et cum Iudeos Deus subiecisset Sefaco, siue Sefoltri Agyptio, *Veruntamen, inquit, seruiet ei; ut seruiet distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum.* Neque occurrere potest fautor tyrannidis, & dicere: Possè absolutum dominum boni communis rationem habere, eamque reipublicam fore quasi magnam familiam. Nam si dominus est, suæ igitur vtilitati mancipia impendit, & omnes subditi, magni domini possessio sunt. Ideoque domini, non sua commoda curate tenentur. Non ignoro quarundam gentium eam esse barbariem, ex natua tarditate, & ingenii stupore, ut ad seruitutem geniti videantur, quæ si bello capta sunt iusto, ut in seruitutem redigi possint, non nego quin eundem habere regem, & dominum eas oporteat. Sed hoc ad paucos pertinet, cum in magna gente quamuis multi sint deditici, seruitutem tamen meriti sint pauci. Toti autem genti more regio est prouidendum, ut in religione, in humanitate, ac politia recte instruantur. Barbarorum autem est miserorum imbecillitate, & stoliditate ad compendia sua abuti.

In illo regno omnes serui sunt excepto vno.

Integra genti prouidere debet magistratus, & non seruiliter eam premere.

§. 5. Non potest esse diuturnum hoc imperium, quia violentum, quia omnes illud detestantur, etiam illi qui summo in honore, ac deliciis viuunt. Extrema tentant, quorum miserrima fortuna est, & cum omnia meliora putent, illis, quæ patiuntur, leui momento impulsu, magnum aliquid audent, atque inopinum; quia etiam nihil sperant, non tamen habent, quod desperent, cum afflictissimo in statu manere sit desperantium, mouere ali-